De praeservandis morbis pulmonum tam communibus, quam propriis ... / disputabit Frider. Godofred. Hermann. Lucanus.

Contributors

Lucanus, Friedrich Gottfried Hermann.
Büchner, Andreas Elias, 1701-1769.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joannis Christiani Hendelii, [1749]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/patjhe8d

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DE

PRAESERVANDIS MORBIS PVLMONVM

TAM

COMMVNIBVS, QVAM PROPRIIS,

DIVINI NVMINIS AVSPICIIS

ET

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV

PRAESIDE

D. ANDREA ELIA BÜCHNER

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,

POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINAR.

IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE

ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGI

DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,

D. VIII. DECEMBR. A. S. R. CIↃIↃCCXLIX.

H. L. Q. C.

IN REGIA FRIDERICIANA

DISPVTABIT

FRIDER. GODOFRED. HERMANN. LVCANVS

MAGDEBVRGENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

VIRO

ILLVSTRI, SVMME REVERENDO

ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

AVGVSTO FRIDERICO WILHELMO SACK,

POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONCI-
NIBVS AVLICIS, SVPREMI CONSISTORII CONSILIARIO
SENATVS ECCLESIASTICI ADSESSORI ET REGI
ACADEMIAE SCIENTIARVM SODALI,

FAVTORI AC PATRONO SVO

SVMMA PIETATE ET OBSERVANTIA COLENDO,

HANCCE DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

IN

TESSERAM GRATAE AC DEVINCTAE MENTIS

PRO

TOT TANTISQVE BENEFICIIS IN SE COLLATIS

D. D. D.

AVCTOR RESPONDENS.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

PRAESERVANDIS

MORBIS PVLMONVM

TAM COMMVNIBVS, QVAM PROPRIIS.

PROOEMIVM.

Quamquam ſingulae corporis humani partes, potiſſimum internae, ſeu viſcera, variis perquam facile laedantur, immo deſtruantur, malis, indeque ingens non ſolum variorum morborum copia, ſed & ipſa demum mors emergat & acceleretur; frequentioribus tamen & numeroſio-

ribus eiusmodi laesionibus inprimis illa exposita communiter deprehenduntur viscera, quorum substantia & textura tenerior est, aut quae etiam ob actionem suam externis quibusvis facilius patent iniuriis. Hae ergo conditiones cum potissimum occurrant in *pulmonibus*, mirari sane non licet, qui fiat, ut summe necessarium & utilissimum hocce vitale organum compluribus non solum *communibus*, sed & *propriis*, prae omnibus fere reliquis, adfligatur *morbis*. Sunt enim illi substantiae rarioris atque mollioris, membranaceo-cellulosae & vasculosae, ob quam in corpore sano in perpetuo motu constrictorio & dilatatorio constituti sunt, qui efficit, ut respirationis non solum negotium rite succedat, sed & sanguis attenuetur, & intimius cum admixta lympha commisceatur. Hinc ob ingentem illam copiam & teneritudinem vasorum, praesente inprimis plethora ac spissitudine sanguinis, varia satis gravia facile emergere possunt impedimenta, liberum eiusdem transitum per eosdem turbantia, motumque reciprocum

cum expanſorium & conſtrictorium, cum ſanitatis detrimento vitaeque periculo, vel accelerantia, vel infringentia. Eveniunt exinde ibidem congeſtiones, haemorrhagicae perruptiones & extravaſationes, ſtagnationes, ſtaſes, & ulceroſae corruptiones, ſique lympha acrior depravata accedit, decubitus humorum ſeroſorum in pulmonibus, quae, ut complurium aliorum morborum cauſſae, ad ſpeciales quoque pulmonum affectus viam pandunt, qui alias etiam facillime per numeroſas externas occaſiones ingruunt, quae, ſive neglectu, ſive auctiori impetu invaleſcentes, gravioribus etiam & vix tandem ſuperandis aliis non aliter viam ſternunt, quam ſicuti e parva ſcintilla grande ſaevumque oritur incendium, tuncque tales, actis diuturniore mora radicibus, vix ullam plerumque ſpem verae reſtitutionis in integrum relinquunt, immo quandoque medicationibus facilius in deterius, quam in melius, progrediuntur.

Permagni igitur omnino intereſt totius

tius noſtrae oeconomiae animalis, *pulmones* ſartos tectosque conſervari, ac omnis generis morbos, tum quos cum aliis visceribus *communes* habent, tum iisdem plane *proprios* & ipſorum functionem directe laedentes, tempeſtive arceri & praecaveri, quoniam utplurimum ingruentes tales, aut e longinquo metuendi, facilius averti poſſunt, quam praeſentes profligari. Methodum hinc & rationem, qua commodiſſime id fieri queat, in praeſente ſpecimine inaugurali, quantum quidem vires permittunt exiguae, oſtendere mecum conſtitui. Faxit divina clementia, ut qualescunque hi conatus in Nominis ſui gloriam proximique emolumentum cedant feliciter.

SECTIO

SECTIO PRIOR
de
praeservandis morbis pulmonum communibus.

§. I.

PEr *morbos pulmonum communes* tales intelligo, qui ex iisdem causis in aliis quoque partibus & visceribus corporis nostri prognasci & induci possunt, quosque tali respectu his ipsis pariter familiares esse deprehendimus, uti pulmonibus, & tales inprimis sunt inflammatorii, haemorrhagici & ulcerosi morbi, seu, prout seorsim, si pulmones adfligunt, vocari solent, *peripneumonia*, *haemoptysis*, *vomica* & *phthisis*.

§. II.

Peripneumonia est febris acuta continua, cum inflammatione substantiae pulmonum cellulosae, doloribus lancinantibus & punctoriis, respiratione dif-

ficili, tussi & expectoratione sanguineo-purulenta coniuncta. Minutissima ergo vascula praedictae cellulosae substantiae, dum sedem huius inflammationis constituunt, atque ob summam diametri angustiam facile obstrui possunt, sufficienter indicant, minime rarum existere posse hunc affectum, confirmante etiam id ipsum experientia, utpote quae saepius eundem epidemice quasi grassari docuit.

§. III.

Sicuti vero nullam medelam suscipere potest Medicus, nisi caussarum, quae morbos excitarunt, prius accuratam habeat cognitionem, nobis quoque incumbit, ut prius caussas huius adfectus eruamus, quarum tempestiva remotione, aut sedula evitatione, morbus hic praecaveri potest. Proximam ergo caussam constituit impeditus liber sanguinis progressus per vascula illa tenerrima, eiusque plenaria in iis facta stasis, ob quam maior & impetuosior ad reliquos canales contingit regurgitatio & promotio, quae febrem ipsam tandem inducit. Hac igitur caussa iam praesente, Medicus peripneumoniam in totum praecavere non potest, sed modo ulteriorem progressum stasios inflammatoriae sedulo inhibere, ac magis aequalem & placidum sanguinis circulum restituere studeat, id quod optime impetrare valet V. Sne, primo, vel ad summum secundo die largius instituenda, vel etiam, urgente necessitate, iteranda. Secetur vero, si periculum urget, in brachio, ob maiorem viciniam cum pulmonibus & citius faciliusque impetrandam tam derivationem,

quam

quam depletionem. Nimia vero copia ſanguinis minime detrahatur, alias ob defectum eius, qui ob febrem coniunctam mox non reſtaurari poteſt, discuſſio ſtaſeos inflammatoriae magis impeditur, quam promovetur. Reliqua dein obſervanda ad curatoriam ſpectant medendi methodum, quam in praeſentiarum exponere haud lubet.

§. IV.

Principaliores ergo nunc cauſſas, ſtaſin inflammatoriam inducere valentes, modumque easdem avertendi iam ponderaturo, ſtatim illa univerſalis & maxime frequens occurrit, *aër* nimirum eiusque *conſtitutio frigidior* ac ſimul *humida*. Frigus enim dum conſtringendo, ac humida tempeſtas nimium relaxando, contrarium exſerunt effectum, inordinatum hinc ſanguinis circulum reddunt, & tum ſpiſſitudinem, tum ſtaſes eiusdem tanto magis accelerant, omnium maxime in iis, qui iam debilitate pulmonum laborant, aut antea iam aliis pectoris adfectibus laborarunt. Tales igitur hancce aëris intemperiem & maxime auram ſeptentrionalem, ceu infenſiſſimam, ſedulo evitent, omniumque maxime ſibi caveant, ne ex loco calido ſubito in frigidum, itemque ex frigido ſubito in calidum transeant, ſicque repentinis hisce mutationibus graviores circuli humorum turbationes ſibi concilient. Recte hinc perhibet DODONAEVS, *Obſerv. med. Cap. 21.* quod in Peripneumonia populariter graſſante multum profuerit focus ex quernis lignis, qui aërem in cubiculis ac coenaculis exſiccarit, ac temperatiorem

& puriorem reddiderit. Victus etiam tali sub tempestate sit magis tenuis, mollis & evpeptus, evitanda omnia sanguinem magis inspissantia. In specie vero potus tunc sit dilutus, ex parte magis calidus, aut saltem temperatus & non nimium frigidus, omnisque proscribatur abusus cerevisiarum crassiorum, magis lupulatarum, itemque vinorum austerorum, & maxime spirituosorum qualiumcunque, utpote quae ob coagulationem maiorem, quam humoribus inducere solent, omnium maxime, ad instar venenorum, sunt fugienda.

§. V.

Proinde quoque ulterius, ad inducendam stasin sanguineam in pulmonibus, tanquam antecedentes caussae referri debent, *animi pathemata graviora*, inprimis *ira* ac *terror*. Sub *iracundiae* affectu partes nerveo-musculosae satis vehementer spastice constringuntur & sanguis impetuosius ab interioribus versus peripheriam urgetur. Duplicem hinc effectum, nempe constrictorium atque resolutorium, simul exserit, & cum pulmones texturae membranaceo-vasculosae & nervosae sint, hinc & eodem modo tunc adficiuntur. *Terror* vero subitam inducit constrictionem omnium partium externarum, sub qua sanguis a peripheria ad centrum subito transfertur, omnesque se- & excretiones, inprimis transpiratio & haemorrhagiae, prorsus supprimuntur, unde facile liquet, quod graves abinde congestiones humorum, itemque regurgitationes, stagnationes ac stases, speciatim quoque circa pulmones,

mones, induci queant. Sedulo igitur evitandae ſunt tales animi commotiones, tanto magis ſub aëris mutationibus gravioribus eiusque potiſſimum frigida conſtitutione. Quodſi vero admiſſae tamen & excitatae illae fuerint, tempeſtive exhibere convenit vel temperantia, praecipitantia & antiſpaſmodica, ſubiunctis mitioribus laxantibus, vel blandiora reſolventia, analeptica & potiſſimum diapnoica, humores iterum ad peripheriam invitantia & aequalem eorum diſtributionem adiuvantia, ſubiunctis ſimul frictionibus & regimine temperate calido, ut hac ratione ſuſpectae & noxiae regurgitationes verſus viſcera, & ſpeciatim pulmones, tempeſtive intercipiantur.

§. VI.

Morbi exanthematici, utplurimum epidemice graſſantes, ſemper coniunctum habent miasma quoddam malignum. Hinc ii, qui tales ſuſtinuerunt & feliciter reſtituti fuerunt, communiter per aliquod tempus valde imbecilles manent, ſique per congrua diapnoica & laxantia relictas forſitan impuritates tempeſtive removere haud ſtudent, ſimulque novos in regimine & diaeta committunt errores, tunc peccans talis materia membranaceis corporis partibus, & ſpeciatim quoque interdum pulmonum ſubſtantiae, intimius ſe inſinuat, ibique irritationes & conſtrictiones ſpasmodicas, humorum ſtaſes & inde emergentes inflammationes, excitare valet. Idcirco ergo ii praecipue, qui *variolis* aut *morbillis* laborarunt, ſordes in primis viis ſuperſti-

tes per mitiora laxantia, ut rhabarbarina, vel pilulas balsamicas, removere, aëri, inprimis frigidiori, non ita libere & praemature se exponere, & reliquias miasmatis, forsitan in M.S. adhuc haerentes, temperatis diaphoreticis plenarie eliminare debent, id quod optime impetratur, partim Essentiis, Vincetox. Pimpin. alb. Carlin. Angel. Scord. Card. ben. &c. partim Infusis theeformibus, ex rad. Chin. Cichor. Pimpin. alb. herb. Veron. Salv. Scabios. flor. Sambuc. lign. Sassafr. parandis, itemque pulveribus diapnoicis, vespertinis maxime horis exhibendis. Cum horum remediorum usu coniungatur diaeta mollis, fugiendo cibos crassiores, ac potulenta cerevisiaria & frigida, eorumque in locum per aliquod tempus substituendo ptisanam, ex rasur. C. C. rad. Scorzoner. Cichor. hordeo mundat. ac passulis minoribus paratam.

§. VII.

Quoniam etiam porro per experientiam abunde constat, quod peripneumonia potissimum *hyemali tempore* ingruat, vel etiam recurrat, idcirco illi maxime, qui vel hoc adfectu iam iam laborarunt, vel ob alios antea perpessos pectoris morbos relictam adhuc gerunt pulmonum imbecillitatem, ante omnia commendatum sibi habere debent moderatum corporis motum, sub blanda semper aëris temperie instituendum & sedulo continuandum. Hoc ipso enim non solum debita fluiditas sanguinis conservatur & aequalis semper eiusdem distributio per universum corporis ambitum

adiu-

adiuvatur, ſed & ſaluberrima inprimis illa excretio, quae per tranſpirationem fit, unacum diureſi, optime promovetur, ſicque ablatis continuo hac ratione tum ſubtilioribus ſalino-ſulphureis, tum craſſioribus terreſtribus & tartareis impuritatibus, M. S. ab omni dyſcraſia & liberatur, & defenditur, ut tanto liberius per minima etiam quorumlibet viſcerum vaſa tranſire queat, eoque ipſo ſtagnationum, alias facile contingentium, metus prorſus tollatur. Semper vero talis corporis motus ſit moderatus, ad lenem usque tranſpirationem & aliqualem non adeo moleſtam fatigationem continuatus. Intenſior enim ſanguinem magis exagitat, atque ad eius ebullitiones, regurgitationes & congeſtiones occaſionem praebet. Probe vero inſuper obſervetur, ut poſt motum ſuſceptum ſubiecta nunquam frigori ſe exponant, alias partes relaxatae ſubito conſtringuntur, humores reſoluti coagulantur, ad interiora retroaguntur, & hinc inde ſtaſes ſubſequuntur. Praeterea etiam, cum talia ſubiecta plerumque ſimul plethorica ſint, venaeſectiones aequinoctiales non negligantur, & pro motu humorum progreſſivo in debito ſuo ſucceſſu adiuvando, & conveniente illorum fluiditate conſervanda, fugiantur cibi duri, craſſi, concoctu difficiles, itemque uſus vinoſorum, ſpirituoſorum, & ſaturatioris decocti fabarum Coffee, eiusque in locum potius ſubſtituantur infuſa theeformia, ex mitioribus reſolventibus & diapnoicis paranda & frequentius in uſum vocanda, inprimis cum omnia

calida

calida potulenta, sub qualicunque ad hunc affectum dispositione, magis semper conveniant, quam frigida.

§. VIII.

Ad alterum horum morborum nunc progredior, nempe *haemoptysin*, quae consistit in sanguinis sinceri, floridi atque spumantis, plus minusve copiosa reiectione per os, cum vel sine tussi facta.

§. IX.

Caussam huius affectus proximam constituit laesio aut violenta dilatatio orificii extremi cuiusdam vasculi sanguinei, a cuius varia capacitate varium haemoptyseos periculum potissimum dependet. Si enim magnum illud fuerit, tunc maior sanguinis quantitas vehementiori plerumque impetu erumpit, brevique non raro temporis intervallo lethalem eiusmodi haemoptysis sortiri solet eventum. Si vero angustioris diametri sanguiferum vas apertum laesumque fuerit, tunc longiora communiter haemoptysis servat intervalla, & neque eximia copia, nec magno impetu sanguis protruditur, adeoque minus metuendum est periculi, majoremque restitutionis spem ordinarie concipere licet.

§. X.

Caussa antecedens propinquior, laesionem aut dilatationem talem vasorum pulmonalium inducens, est congestio sanguinis impetuosior versus pulmones facta, sub qua venae eam sanguinis copiam non recipere & revehere possunt, quae per arte-

arteriam pulmonalem adfluere ſolet. Hinc minorum vaſorum fit expanſio, quae ſucceſſive fundamenta ſubſequentis demum perruptionis eorum ponit. Quicquid igitur ſanguinis motum progreſſivum intra vaſa pulmonum gravius turbat, illud quoque ad haemoptyſin excitandam conferre poteſt.

§. XI.

His ſuccincte de aetiologia graviſſimi huius affectus praemiſſis, ad *methodum praeſervatoriam*, ceu principalem & optimam, progredimur. Praeſente enim hoc affectu non niſi temperantibus & ſecuris anodynis ac tonicis motus effrenes mitigari debent. Superato vero illo omni ſtudio eo nitatur Medicus, ut recidivas praecaveat. Etenim ſi ſemel evenerit hic affectus, ob ſubſtantiae pulmonum laeſionem ſanguinis progreſſivus motus per eos facilius turbatur, ut idcirco ex levioribus etiam cauſis, & ſpeciatim ſub qualicunque impetuoſiori eius commotione, promtius ille denuo repetere queat.

§. XII.

In talibus ergo ſubiectis, itemque iis, quae ſaltem ad eundem manifeſtius diſpoſita videntur, Medicus eo quam maxime reſpiciat, ne nimia ſanguinis copia accumuletur. Omnes hinc cibos, qui multum ſanguinis producunt, aut ad orgaſticam eius commotionem anſam praebent, ut quaelibet ſpirituoſa, vinoſa, inprimis dulcia, carnes pingues, cereviſias ſaturatas, gelatinoſa, farinacea, butyro fri-

xa, &c. cane peius ac angue fugiant. Spirituosa enim, ob partes sulphureas inflammabiles, insignem commotionem expansivam intestinam excitant, systolen cordis augent, ac sanguinis progressum per universum corpus admodum accelerant. Vina generosiora, exotica & dulcia, similem effectum exserunt; reliqua vero, ob acidum tartareum, coagulum sanguinis facile inducere possunt. Cerevisiae saturatae sanguinem inspissando vasaque obstruendo nocent. Loco horum potulentorum, quae, variis iam adductis modis humorum crasin ac motum turbando, plus noxae talibus ad haemoptysin dispositis subiectis adferunt, seligant potius vel simplicem aquam fontanam, vel *ptisanam* quandam, hunc maxime in modum parandam, pro potu ordinario: Rec. Hordei mundati, Rosar. siccar. ana manip. ij. semin. Plantag. drachm. ij. M. coquantur in mensur. iv. aquae fontanae, factaque filtratione adde Sacchar. rosac. syrup. Rosar. solut. ana unc. j. Non minus quoque serum lactis, ob insignem virtutem abstergentem & temperantem, egregie iisdem conveniet. Si vero illud pariter, ac praedictam ptisanam, aversantur, tunc cerevisiae minus saturatae, tenues & bene defecatae, ipsis concedantur. Vinosa quoque interdum permitti possunt, si sufficienter cum aqua vel simplici, vel mitiori quadam minerali, diluuntur, & quidem speciatim vinum Rhenanum ac Mosellanum. Abstineant quoque ab usu decocti fabarum Coffee, ob irregulares, quas facile excitat, sanguinis commotiones, eiusque

in

in locum potius ſubſtituant infuſum theeforme, ex floribus Chamomill. vulg. ſummitat. Milleſol. cort. Citr. & ſemin. Foenic. paratum.

§. XIII.

Sedulo etiam porro ſibi caveant talia ſubiecta ab omnibus *fortioribus commotionibus*, tam *animi*, quam *corporis*, ob inde emergentes ſuſpectas orgaſticas ebullitiones, ad quas vel praecavendas, vel tempeſtive etiam infringendas, optime ipſis conveniunt *nitroſa*, largiori etiam manu oblata & cum abſorbentibus remixta, ſpeciatim ſequens talem in modum paratus pulvis antorgaſticus, de quo ſubinde quoque praeſervationis gratia, ante lecti introitum, ſcrup. j. vel dimidia drachma, cum aqua fontana, vel deſtillata quadam ex temperantium & refrigerantium claſſe, adſumi poteſt: Rec. Nitri depur. drachm. ij. Corall. rubr. ppt. Lapid. 69. citrat. Conchar. ppt. ana ſcrup. ij. M. D. ad Chart. Non minus quoque pro eodem ſcopo conveniunt *acidulata* temperata, Tincturae nempe Roſar. flor. Bellid. aut Papav. rhoead. tam praedictis Ptiſanis, ad gratiam ſaporis, admiſcendae, quam ſeorſim etiam quandoque, adiecto & ſoluto prius in iisdem pauxillo nitri, adſumendae. In *diaeta* vero ſimiles fructus & ſucci vegetabilium, omniaque humectantia & olera recentia ac ſucculenta, parem effectum ſalutarem praeſtant.

§. XIV.

Ad ſanguinis quantitatem diminuendam ac derivationem impetuoſioris eius affluxus a pectore ad

inferiores partes obtinendam, optime inprimis conveniunt *venaeſectiones*, ter quaterue quotannis in pede inſtituendae, praemittendo inſimul iisdem, & ſaepius etiam alioquin interponendo & repetendo, *pediluviorum* non nimis calidorum, ſed temperatorum uſum, quae ſaltem cum furfuribus triticeis & floribus Chamom. vulgar. in aqua fluviali aut pluviali decoctis, parari poſſunt. Serio etiam inſuper monenda ſunt talia ſubiecta, ut, pro avertendis humorum ab inferioribus verſus pectus facile contingentibus regurgitationibus, pedes a frigore probe defendant, omnesque tranſpirationis univerſalis turbationes, maxime repentinas, ſedulo evitare ſtudeant.

§. XV.

Ulterius quoque, ſcopo derivatorio, praeſervatorie ſummo cum fructu *laxantia mitiora* ſunt commendanda, quae ſine eximia irritatione agunt, qualia inprimis ſunt rhabarbarina & mannata, ſequentem in modum in *potiunculae* forma exhibenda: Rec. Mannae elect. unc. ij. Rhabarb. elect. ſcrup. ij. Cremor. tartari drachm. j. Coquantur leni calore in aquae flor. Acac. unc. iv. vel v. Colaturae adde Elaeoſachari Citri drachm. dimid. D. pro una doſi. Debilioribus ſolae conducunt paſſulae rhabarbarinae; ſucculentioris autem habitus ſubiectis exhiberi etiam poteſt ſal Anglicanum, vel de Seignette, in aqua flor. Acaciae cum pulpa Tamarindorum ſolutum, uſusque talium laxantium intra menſem ſemel vel bis repetatur.

§. XVI.

§. XVI.

Cum porro quoque talia ſubiecta *ſpaſticis ſtricturis* ſaepius adficiantur, quae ſanguinem ad pulmones validius congerunt, neceſſe hinc erit, ut tales tempeſtive mitigentur, relaxentur, & ſic humorum circuitus aequalis conſervetur. Convenit hunc in finem quandoque pulveres nitroſos, additis aliquot guttulis liquoris mineral. anod. cum aquis flor. Til. Chamom. Sambuc. &c. exhibere. *Diaetetice* autem ſuadenda ſunt eiusmodi ſubiectis iuscula pinguia, gelatinoſa & mucilaginoſa, inprimis autem decocta avenacea, quandoque, ſi nimium inprimis urgeant tales ſpasmodicae ſtricturae, cum oleo amygdalarum dulc. recenter expreſſo, in minus nauſeoſis ſubiectis, moderate remiſcenda.

§. XVII.

Maximum autem momentum praeſervationis haemoptyſeos in *conſervatione toni & roboris naturalis pulmonum* poſitum eſt, cum alioquin ſatis laxum & tenerum ſit hoc viſcus, adeoque ab externis quibusvis iniuriis & violentiis prae omnibus reliquis facilius adficiatur & laedatur. Probe ergo ii inprimis, qui vel ex diſpoſitione haereditaria *connatam*, aut ex aliis cauſſis praegreſſis *acquiſitam* habent *pulmonum imbecillitatem*, ſibi cavere, aut ad minimum temperare debent, ab omnibus iis, quae, nimium & diutius diſtendendo veſiculas pulmonales, univerſam non ſolum eorum ſubſtantiam membranaceam inſigniter debilitare, ſed & ſubſequentibus violentis vaſorum extenſionibus & perruptioni-

bus ansam praebere valent, veluti sunt intensiores clamores & vociferationes, aut saltem etiam intensior nimisque diuturna sermocinatio, onerum graviorum elevatio & gestatio, sub qua spiritus plerumque diutius intra pulmones cohibetur, iidemque expansi tenentur; item nisus fortiores, ad excludendum foetum sub partu difficili, aut expellenda scybala indurata, directi, validiores instrumentorum musicorum, speciatim tubarum, inflationes, & similia. Haec enim singula dum magis magisque omittunt, & quietem pulmonibus subinde concedunt, insimulque sub urgentiori necessitate moderatum sacchari myrrhati & infusorum theeformium travmaticorum usum interponunt, optime deficiens forsitan pulmonum robur instaurare, sicque metuendos tam primos insultus, quam novos recursus periculosae huius haemorrhagiae, securissime avertere & praecavere possunt.

§. XVIII.

Quum autem porro etiam tam *hypochondriacis*, quam *hystericis* perquam familiariter evenire soleat *haemoptysis*, inprimis *periodica*, paucis idcirco etiam adhuc indicandum erit, qua ratione & in iis obtinenda sit praeservatio. *Hystericae* ergo dum ob mensium plerumque suppressionem, & hinc factam sanguinis regurgitationem versus superiora, consueto alias menstruo tempore huic affectui non raro obnoxiae redduntur, omnium optime eundem avertere possunt V. Sne paulo largiori, ultimis ante hunc terminum diebus, praemissis aliquoties

pedi-

pediluviis, in inferioribus artubus instituta, coniunctis simul remediis internis temperantibus & antispasmodicis, blandisque resolventibus & laxantibus. Cane vero & angue peius fugiant tales foemellae, tunc maxime temporis, omnia emmenagoga, utpote humorum massam ordinarie magis commoventia & sonticam istam excretionem potius accelerantia, itemque, si forsitan haemoptysis erumpat, validiora adstringentia & anodyna, quibus menstrui fluxus suppressio magis obfirmatur, istaque per pulmones contingens vicaria haemorrhagia non raro gravius exacerbatur & pertinacior redditur.

§. XIX.

In *hypochondriacis* si forsitan metuenda fuerit haemoptysis, difficiliori potissimum & impedito sanguinis progressui per viscera abdominis, eiusque a spasmis ibidem vigentibus inductae regurgitationi versus superiora, culpa erit tribuenda, quae pariter quoque occurrit, si vel molimina haemorrhoidalia incongrua medendi ratione turbantur, vel ipse talis fluxus quacunque ex causa repente supprimitur. Optime ergo tunc, praesente forsitan qualicunque dispositione, haemoptyicae praecaveri possunt perruptiones, si, praeter ordinariorum antispasmodicorum usum, alvinae inprimis excretionis successus debite adiuvatur & promovetur, tum internis laxantibus mannatis & rhabarbarinis, tum potissimum clysteribus lenientibus & carminativis, subiungendo simul frequentiorem usum pediluviorum

rum & consuetas tempestive repetendo V. Snes. Cavendum autem quam maxime erit, sicuti in genere sub hypochondriaco statu, ita potissimum sub hac simul coniuncta dispositione, ab omnibus calidioribus carminativis & stomachicis, itemque anodynis, ne maior motuum concitetur turbatio & facilius suspecta illa vicaria acceleretur excretio.

§. XX.

Haemoptysin excipit nunc *Vomica*, utpote alioquin etiam ex illa originem ducens. Intelligimus autem sub hac denominatione abscessum in pulmonibus generatum, peculiari quadam tunica inclusum, modo in superficie, modo in interiore substantia huius visceris haerentem, & ruptura tandem subsequente in verum ulcus plerumque abeuntem.

§. XXI.

Patet igitur exinde, parum omnino discriminis inter *vomicam* & *phthisin* intercedere, imo facillimo negotio, quod saepius etiam contingit, illam in hanc degenerare posse. Tamdiu enim vomicae titulum gerit quilibet pulmones occupans abscessus, quamdiu propriis adhuc terminis & membranis vel capsulis coërcetur, nec corruptionem suam latius diffundit, aut praetereuntibus communicat humoribus: Quamprimum autem, successive erosa pulmonum substantia, introrsum perrumpit, collectaque purulenta materia, transitum intra bronchia inveniens, maxima ex parte quidem reiicitur, cavitas vero, eandem antea includens, nec mundificatur, nec conso-

consolidatur, certissimus tunc fit transitus in *phthisin*, quemadmodum, si extrorsum perforatis pulmonibus in ipsam pectoris cavitatem pus effunditur, *empyema* inde prognascitur.

§. XXII.

Caussam singularis talis apostematis *proximam* ordinarie constituit *stasis* portionis cuiusdam *sanguinis extravasati*, *intra vesiculam* aliquam *pulmonalem* facta, quae, pro diversa circumstantiarum ratione, modo celerius, modo tardius in suppurationem transit, factaque successiva minimorum adiacentium vasorum erosione, indeque contingente ulteriori lenta humorum transcolatione, etiam in copia notabiliter quandoque augetur. *Antecedentium* autem *caussarum* vices, in producendo hoc affectu, communiter gerunt, tum *haemoptysis praegressa* & per adstringentia *subito cohibita*, tum acriores caustici, *arsenicales* aut *mercuriales vapores*, improvide sub inspiratione hausti & ad interiora pulmonum delati, itemque *celeriores cursus*, ad respirationis fere interceptionem usque continuati, cum subsequente *repentina corporis refrigeratione*, ac denique *externae violentiae*, per lapsum, ictum ac qualemcunque graviorem contusionem pectori illatae.

§. XXIII.

Cum ergo facilis sit illius Vomicae praeservatio, quae ex modo enumeratis ultimis tribus caussis externis originem trahit, dum saltem in provida earundem evitatione consistit; hinc paucis modo indicandum erit, qua ratione occurrere liceat, si ex

haemoptyſi, per adſtringentia praemature cohibita, forſitan ſit metuenda. Eo igitur quam maxime adlaborandum erit, ut ſanguinis illa portio coagulata & extravaſata, quae tali ratione intra ſubſtantiam pulmonum incluſa haeret, tempeſtive removeatur & abſtergatur, antequam in ſuppurationem tranſeat, id quod optime impetratur, temperatis reſolventibus & expectorantibus coniunctim exhibitis, in forma infuſorum theeformium, ex radicibus Helen. Pimpin. alb. Carlin. Liquirit. herb. Marrub. alb. Veron. flor. Arnic. Salv. &c. parandis, ac paulo diutius continuandis, interpoſitis etiam pulveribus, ex Succin. ppt. Lapid. 69. citr. rad. Ari, Helen. Sperm. ceti & Sacch. Canar. compoſitis, ſubiungendo, pro obtinenda ſimul derivatione, tum laxantia, tum V. Snem, cum frequentioribus pediluviis, omnemque impetuoſiorem commotionem humorum orgaſticam ſedulo evitando. Quodſi autem poſt praegreſſas exanthematicas febres, a reſtitante forſitan & circa pulmones adhuc haerente miasmate acriori cauſtico, Vomicarum metuatur proventus, quod inprimis in infantibus poſt variolas minus rite decurrentes evenire ſolet, tunc ea omnia obſervanda & in uſum vocanda erunt, quae ſuperius in §. VI. commendata proſtant.

§. XXIV.

Excipit tandem ultimus communium pulmonum morborum, isque, ſi incrementa maiora iam ſumſit, inprimis perquam refractarius & prorſus ſaepe incurabilis, adeoque tanto maiori cum cura

tempe-

tempestiva praeservatione avertendus, *phthisis* nempe, quae proprie constituit ulcerosum pulmonum adfectum, a stasi sanguinea ibidem facta & in corruptionem deducta originem trahens, corporisque universalem contabescentiam successive tandem inferens.

§. XXV.

Si in ullo unquam morbo tempestiva opus est praeservatione, certe eam requirit ulcerosus talis pulmonum status, non quidem repente invalescens, sed tacitis magis gressibus incrementa sua sumens, hac ipsa autem ratione ita demum invalescens, ut omnem tandem curationem prorsus respuat, adeoque merito omne eo dirigendum est studium, ut prima statim eius evertantur fundamenta, antequam ad maius evehatur fastigium, plenariamque oeconomiae animalis destructionem inferat. Ob diversitatem autem caussarum antecedentium, quas ipsi etiam alii praegressi pulmonum morbi constituunt, vario modo adornanda est eius *praeservatio.* Si igitur ex *peripneumonia* aut *haemoptysi praegressa* qualiscunque in pulmonibus relicta videatur laesio, subsecuturae demum phthisi viam pandens, tunc eo quam maxime invigilandum est, ut partim ulteriores novae versus hoc viscus contingentes congestiones intercipiantur, & suspectus maior humorum affluxus aliorsum ab eo derivetur; partim laesio ipsa tempestive abstergatur & ad consolidationem deducatur, simulque tonus pulmonum, admodum plerumque debilitatus, convenienter instauretur & roboretur.

§. XXVI.

Ad priorem ergo ſcopum obtinendum, praeter diaetam congruam & temperatam humectantem, excluſis omnibus acrioribus aromaticis, itemque potulentis ſaturatioribus & vinoſis, quam maxime conveniunt blanda laxantia, praeſente inprimis alvi ſegnitie ſubinde repetenda, itemque V. Snes, ſecundum conditionem virium aegrotantium gradumque plethorae adornandae, & ſaepius vel rarius iterandae, ſubiuncto ſimul, itidem pro harum circumſtantiarum ratione, conveniente placido, aut paullo auctiore corporis motu, pro obtinenda magis aequali ſanguinis per univerſum corpus diſtributione, & concurrentium plerumque infarctuum, circa abdominis viſcera haerentium, reſeratione. Hanc enim ob cauſſam dubio procul iam olim, a CELSO inprimis, *Lib. III. cap. 23.* phthiſicis ipſis, non nimium obfirmatis, *navigatio*, & a SYDENHAMIO *Opuſc. p. 521. & 781. equitatio*, curatorio ſcopo, eximie commendata fuit, manifeſto ſane argumento, quod tanto magis quoque praeſervatorium effectum a congruo qualicunque corporis motu expectare liceat. Conf. Programma Illuſtr. b. m. STAHLII, *de novo ſpecifico antiphthiſico, equitatione*, Diſſertat. quae *Pathologiae fundamenta practica* ſiſtit, ſubiunctum, & Illuſtr. Dn. PRAESIDIS Diſſertat. *de commodis & incommodis equitationis, in hominum ſanitatem redundantibus.*

§. XXVII.

Pro *abſterſione* autem & *conſolidatione* relictae forſitan in illis morbis qualiscunque pulmonum lae-

ſionis,

ſionis, praeter *infuſa theeformia*, ex mitioribus reſolventibus & travmaticis ac balſamicis vegetabilibus paranda, atque cum ſaccharo myrrhato edulcoranda, egregium inprimis uſum praeſtabit *lac*, tam *humanum*, quam *aſininum* & *caprillum:* Iſtud nempe, ob indolem & qualitatem humoribus noſtris magis iam homogeneam; illud, ob minorem terrearum craſſiorum ac mucidarum, paullo copioſiorem vero ſalinarum fixiorum partium quantitatem, & hoc denique, ob teneriorem pariter conſiſtentiam, & parciorem craſſiorum pinguium & terrearum partium copiam. Prius horum, ſi a nutrice iuniori & ſana obtineri poteſt, ſolitarie exhibetur, interpoſitis praedictis infuſis; aſininum optime cum Selterana miſcetur aqua, & caprillum vel cum flor. Roſar. & Papav. rhoead. decoquitur & addito ſaccharo roſaceo edulcoratur, vel infuſis abſtergentibus & travmaticis adfunditur. Semper vero paulo diutius continuandus, &, ſi circumſtantiae permittant, vernali aut aeſtivali magis tempore ſuadendus eſt lactis uſus, praemittendo non ſolum, ſed & ſubinde interponendo eidem blanda laxantia, & coniungendo aptam diaetam, ab omnibus acrioribus, nimium ſalitis, acidis, dyspeptis, &c. liberam.

§. XXVIII.

Quum autem illis ſubiectis, quae magis cholerici ſunt temperamenti, ob acrimoniam bilioſam excedentem, vix unquam conveniens deprehendatur lactis uſus, ideo eius in locum iisdem potius *ſerum lactis*, tam *dulce*, quam leniter *acidulum*, ſua-

dendum erit, ob ſimilem egregiam, quam praeſtat, tam involventem & temperantem, quam abſtergentem efficaciam, ita quidem, ut vel pro potu ordinario illud bibant, vel ad minimum matutinis & pomeridianis horis dimidiam eius menſuram adſumant, obſervatis ſimul reliquis circa lactis uſum iam commendatis regulis. Similem quoque ſalutarem effectum praeſtant *iuſcula medicata*, cum radicibus Cichor. Scorzoner. Paſtinac. Petroſel. Apii, & herbis Endiv. Fragar. Chaerefol. Matriſylv. Hed. terreſtr. &c. leniter decocta, quibus etiam coniungi aut interponi poſſunt mixturae blande reſolventes, ex Liqu. terrae fol. tart. Tinct. ſal. tart. Eſſ. Pimpin. alb. & ſpir. Nitr. dulci, itemque pulveres, ex Succin. ppt. Lap. 69. citrat. Corall. r. ppt. Sacch. lactis & Nitro, conſtantes. Quae tandem pro roborando tono pulmonum conveniunt, ea ſuperius iam (§. XVII.) notata proſtant.

§. XXIX.

Praeter hos vero in ipſis pulmonibus occurrentes morbos, non raro etiam alii, perniciosas ſtagnationes, ſtaſes & infarctus in eodem illo viſcere producendo, phthiſin excitare valent, veluti ſunt affectus male tractati, turbati, aut retropulſi, rhevmatici, arthritici, podagrici, ſcabioſi, ulceroſi, venerei, ſcorbutici, &c. quorum pariter in praeſervando hocce morbo debita habenda eſt ratio. Quodſi ergo in iunioribus praecipue ſubiectis, ex perverſo illorum decurſu, pathemata quaedam circa pectus occurrant, principaliter quidem eo erit adnitendum, ut priſtini illi turbati revocentur morbi,

reme-

remediisque convenientibus & adpropriatis tractentur; hoc vero si impetrari nequeat, tunc suppetias adhuc ferre licebit, congestiones impetuosiores humorum a pectore derivando, laxantibus, clysteribus, vesicatoriis, pediluviis, & venaesectionibus; spasmos temperantibus & lenientibus relaxando; ac retropulsi acrioris seri, circa pulmones iam iam haerentis, remotionem, per leniter auctam & in successu suo conservatam transpirationem & diuresin, adiuvando.

§. XXX.

De reliquo omnes ii, qui vel ob morbos modo allegatos, vel ob haereditariam dispositionem aliasque caussas ad phthisin inclinant, aut in primo huius affectus gradu, facile adhuc emendando & removendo, constituti sunt, exactam observent *diaetam*, probeque considerent, quod vel sola haec maximam fere praeservationis partem absolvat. Evitent idcirco omnes cibos dyspeptos, viscidos, crudos, austeros, acidos & muriaticos, itemque potulenta similia, fermentescentia, acescentia, cerevisias crassas, minus defecatas, vina generosiora & quaelibet spirituosa, utpote humorum massam magis inquinantia & ad facilius subeundas stagnationes, stases, corruptiones & orgasticas ebullitiones disponentia. Seligant e contrario cibos molles, evpeptos, lubricantes, olera molliora, non nimis flatulenta, carnes caponum, gallinarum, perdicum, vitulorum, agnorum, & iuscula cum cancris fluviatilibus parata, nec non potulenta tenuiora diluentia, aquam simplicem puram, vel temperatam mineralem, aut ptisanas.

nas. Fugiant porro frequentiores & impetuosiores animi & corporis commotiones aëremque impurum, nebulosum, frigidiorem, & inprimis borealem, aut vaporibus putridis, saturninis & arsenicalibus inquinatum, sique loca talia insalubria mutare licet, in tractus elatiores & magis piniferos, ubi aër resinosis particulis impraegnatus est, concedant, vel, si circumstantiae id non permittant, arte talem sibi procurent aërem, accensis lignis resinosis ac piceis, vel thure, mastiche, benzoe, aliisque id generis, aut herbis etiam odoratis hinc inde per conclavia dispersis. Inde namque olim, teste GALENO, *Method. med. Lib. V. cap. 12.* qui Romae fiebant phthisici, ad *Tabias* navigabant, ut ad Vesuvii, flammas perpetuas evomentis, exhalationes propius accederent. Inde etiam in Lusitania, notante ZACVTO, *Prax. admir. Lib. II. Cap. 10. Obs. 2.* phthisici communiter *Palmelam*, oppidum amoenum ac fertile, in cuius circuitu piniferarum arborum plurima est copia, non sine insigni emolumento transferebantur; immo inde denique est, quod Angli, si phthisi corripiantur, hodiedum adhuc plerumque Galliam petere soleant, referente iam olim WILLISIO, *Pharm. rat. Part. II. Sect. I. Cap. 6. p. 53. & 76.*

SECTIO POSTERIOR
de
praeservandis morbis pulmonum propriis.

§. I.

SIcuti hactenus considerati communes pulmonum morbi ex similibus caussis etiam aliis visceribus familiares deprehenduntur, & principalem huius organi functionem secum-

ſecundario ſaltem laedunt: ita ſub titulo *morborum pulmonum propriorum* non niſi illos intelligimus, qui ex cauſſis quidem communibus, alios itidem morbos inducentibus, producuntur in pulmonibus, ſed quorum formalis ratio in laeſione principalis actionis eorundem, ſeu reſpirationis, unice conſiſtit, utpote quam directe magis & primario turbant, talesque hinc ſunt *tuſſis*, *dyspnoea*, *aſthma & catarrhus ſuffocativus.*

§. II.

Leviſſimum horum adfectuum, intuitu periculi, ſimulque magis univerſalem, cui omnes fere homines, noſtro inprimis ſub climate, cuiuscunque aetatis, ſexus & temperamenti, ſaepius ſubiiciuntur, aſt ſimul quoque diuturniore ſua duratione ſumme moleſtum, conſtituit *tuſſis*, quae proprie eſt valida, inaequalis & ſonora aëris, prius inſpirati, e pulmonibus expulſio, cum niſu ad reiiciendam materiam quandam, vel in ipſo hoc viſcere, vel in aliis cum eo conſentientibus, haerentem, coniuncta, & ab irritatione interioris membranulae, aſperam arteriam inveſtientis, producta.

§. III.

Quoniam ergo materia, irritationem talem efficiens, non ſemper in pulmonibus haeret, adeoque hoc viſcus non ſemper immediate, ſed quandoque etiam per conſenſum adficitur, & quidem frequentiſſime, dum primarium illius focum modo ventriculus, modo hepar, modo etiam alia abdominis viſcera, conſtituunt; idcirco merito tuſſis in *pectoralem* & *abdominalem* diſpeſcitur, quae ultima dein, pro partium primario adfectarum diverſitate, vel *ſtomachalis*, vel *hypochondriaca* audit. Ipſa vero dein pectoralis, cum porro vel ſolitarie, ſine alio

quodam morbo, occurrat, vel cuidam ex communibus pectoris adfectibus inſimul iuncta ſit, vel quandoque catarrhis accedat, propterea in *idiopathicam* & *ſymptomaticam* diſtinguitur. Ultima ergo haec, itemque antea nominata *abdominalis tuſſis*, cum nulla alia ratione poſſint praeſervari, quam qua ipſi affectus, quos ceu ordinarium ſymptoma comitantur, alias arcentur, merito hinc easdem iam mittimus, & ſaltem, qua ratione *pectoralis idiopathica* poſſit evitari & praecaveri, iam indicabimus.

§. IV. Habet vero haec vel manifeſtam, liberiorem & ſatis quandoque copioſam expectorationem materiae craſſae & mucidae coniunctam, vel ſine eadem, aut cum moleſtiſſima & admodum pauca materiae ſeroſae & ſalſae reiectione, occurrit, indeque in *humidam* & *ſiccam*, ſeu *ferinam*, iterum dividitur. Utraque ergo pro *cauſſa proximiori* agnoſcit congeſtionem ſtagnatoriam humorum vel pituitoſorum, vel ſeroſo-lymphaticorum acriorum, qui, ob neglectas, turbatas & impeditas alias excretiones, maxime V. Snes, ſudores & alvi deiectiones, magis accumulantur & verſus pulmones transferuntur, aut ſub catarrhali quodam decubitu copioſius eo deſcendunt, tantoque diutius praedictam illam congeſtionem ſuſtentant, quo maior iam adeſt pulmonum imbecillitas, vel ab aëris frigido-humidi intemperie, vel ab expectorantium iam adhibitorum abuſu, vel ex ipſa ſubiectorum conſtitutione, inducta.

§. V. Tota igitur *praeſervatio utriusque* huius *tuſſis* nititur partim tempeſtiva derivatione incongrui illius adfluxus humorum a pectore, partim remotione abundantium iſtarum craſſiorum aut acriorum impuritatum, partim denique roboratione toni pulmonum imbecillioris. Hinc ante omnia conſuetae debito tempore iterandae ſunt

V. Snes,

V. Snes, primae viae iubinde pilulis tartareis, de Succino Cratonis, aliisque, itemque balſamicis, a ſordibus ibidem collectis repurgandae, ſucceſſus tranſpirationis, in ſiccioribus ſubiectis, adiuvandus infuſis theeformibus & pulveribus fixis diapnoicis, in humidioribus temperatis Eſſentiis reſolventibus & alexipharmacis, quibus, pro roborando pulmonum tono, interdum Eſſentiae Caſcar. & Succini admiſceri poſſunt, cavendo ſimul probe ab abuſu dulcium, pinguium, humectantium & expectorantium.

§. VI. Omnem autem fere paginam, in praeſervandis moleſtis hisce adfectibus, abſolvit congrua *diaeta* debitumque *regimen.* In victu ergo moderatio ſervetur, omniaque craſſa, dyspepta, fumo indurata, ſale condita, leguminoſa, mucilaginoſa & acida fugiantur, & in diſpoſitione ad humidam tuſſim, carnes magis aſſae, non nimis pingues, cum pane biscocto, praeferantur, coniungendo modicum vini Moſellani vel Rhenani uſum; ſub cholerico autem ſtatu, & inclinatione ad ſiccam tuſſim, alimenta magis demulcentia, humectantia, elixa, gelatinoſa, ſeligantur, interponendo diluentia & magis aquea potulenta, inprimis Selteranam aquam, parcius cum vino Moſellano interdum remiſcendam, quandoque etiam matutinis horis cum lacte bibendam. Regimen, quantum quidem poſſibile eſt, temperatum obſervetur, pedes inprimis & pectus a frigore probe defendendo, aëremque non ſolum intemperatum fugiendo, ſed repentinas etiam caloris & frigoris viciſſitudines evitando, utpote quae non ſolum graviter humorum turbant circulum, ſed etiam ad pertinaciores tales congeſtiones, translationes & ſeceſſiones ſeroſo-lymphaticas & mucidas, occaſionem praebent frequentiſſimam.

§. VII. *Dyspnoea* & *asthma* unum fere eundemque, sed gradu saltem vehementiae distinctum, constituunt adfectum. Illa enim est difficultas respirandi, quae sub quiete corporis plerumque mitescit & fere evanescit, sub auctiori autem eius motu, vel sub morborum, quibus ceu symptoma iungitur, exacerbatione, magis semper ingravescit. Patet hinc, *dyspnoeam* modo *idiopathice* occurrere, atque tunc maxime ab humorum circa pulmones copiosiore congestione & difficiliore transitu, vel qualicunque etiam huius visceris cum pleura concretione, originem ducere; modo *symptomatice* evenire, quo respectu non solum in omnibus superius descriptis communibus pulmonum morbis, itemque in leviori anginae gradu, notatur, sed & hydropicis, tympaniticis ac hypochondriacis ordinarie familiaris est, tuncque nullam peculiarem admittit praeservationem.

§. VIII. *Asthma*, est continua, frequens & gravis respirandi difficultas, cum sibilo, aut rhoncho, quandoque etiam tussi coniuncta, modo ab atonia, modo a rigidiore spastica contractione organorum pnevmonicorum, modo etiam ab obduratione bronchiorum, per humores ibidem haerentes tenaces & viscidos, inducta. Pro harum ergo proximarum caussarum diversitate omne asthma est vel *defectivum*, quod strictius pulmonibus competit, & ab eorum nimia relaxatione, modo cum, modo sine humore mucido ibidem haerente, dependet, hincque aut *siccum*, aut *humidum* evadit; vel est *spasticum* aut *convulsivum*, a rigida & validiore musculorum respirationi inservientium tensione dependens, hincque non tam *pulmonum*, quam potius *pectoris morbum* constituens.

§. IX.

§. IX. Quod ergo utriusque huius affectus *praeservationem* attinet, ex modo adductis pathologicis circumstantiis facile liquet, tam *dyspnoeam*, quae a congestione nimia & difficiliore transitu humorum per pulmones oritur, (quae enim concretionem huius visceris cum pleura pro caussa agnoscit, nullam plane praeservationem admittit, praeter eam, quod infantes in prima aetate non nimis diu in uno latere gestandi, aut decumbentes relinquendi sint;) quam *asthma defectivum*, *siccum* aeque, ac *humidum*, easdem cum *tussi* tam *sicca*, quam *humida*, utpote cui saepius etiam succedit, agnoscere caussas, eandemque idcirco postulare praeservandi methodum. Hinc unice in iis subiectis, quae qualemcunque, maxime intuitu habitus corporis, ad tales adfectus monstrant dispositionem, consuetae sanguinis ventilationes, tam per V. Snem, quam scarificationem, nunquam negligendae, sed debitis temporibus sedulo repetendae sunt, promovendo simul & conservando legitimum alvi successum, & idcirco subinde laxantia, cum temperatis resolventibus iuncta, exhibendo, omniumque maxime transpirationem quovis modo adiuvando, eaque omnia fugiendo, quae graviores eidem turbas inferre, aut etiam praesentium qualiumcunque exanthematum, maxime scabiosorum & ulcerosorum, retropulsionem accelerare possunt. Reliqua ad *roborationem debilitati pulmonum toni* spectantia, ipsamque *diaetam* concernentia, cum iis conveniunt, quae iam iam §. V. & VI. huius Sectionis indicavimus.

§. X. Quum etiam tandem *catarrhus suffocativus* plurimum adfinitatis cum *asthmate humido* habeat, illudque non nisi gradu vehementiae & periculi exsuperet,

dum in subitanea pulmonum oppletione, ab humoribus seroso-lymphaticis mucidis, in copia versus pectus irruentibus, coniuncta manifesta huius visceris & musculorum pectoralium atonia, consistit; hinc eadem omnino, quae in §. praeced. monita fuerunt, circa eius praeservationem notanda & observanda erunt, quarum taediosa repetitione merito idcirco supersedemus, velaque contrahendo tractationi huic nunc imponimus

FINEM.

NOBILISSIMO CANDIDATO

S. P. D.

IO. GOTTLOB KRÜGER.

Opportunam gratulandi occasionem laetus arripio, eoque maiori, id praesto officium, gaudio, quo certior sum, non digniores esse MACHAONIS *discipulos, quam qui* EVCLIDIS *fuerunt. Sapienter hanc sancitam olim a Graecis sapientibus legem observasti, NOBILISSIME CANDIDATE, & fecisse* TE *hoc optimo* TVO *emolumento certissime persuasus sum. Quanta enim sit matheseos in arte salutari ad mathematicae, hoc est summae cognitionis gradum, evehenda necessitas,* BORELLI, HALESII, *aliorumque immortalia opera loquuntur. Sed concedamus, quod concedi non potest, nullum dari inter mathemata & medicinam, doctrinas si respicias, nexum, manebit tamen firma & inconcussa methodi mathematicae in arte salutari utilitas. Curationes ab indicationibus, indicationes a Medici meditatione pendent. Meditatio habitum meditandi supponit, qui non nisi crebro exercitio acquiritur.*

Quis

Quis vero plura, quis meliora & omnibus numeris absoluta meditationis specimina dedit Geometris & immortali EVCLIDE? *Bene igitur & laudabiliter egit* MAXIME REVERENDVS PARENS, *quod a primis, ut loquuntur, unguiculis Euclidea illa arte* TE *imbui curavit, quam postea me duce magis perficere, atque ad naturae sacra explicanda applicare* TIBI *placuit. Gratulor hunc optimum studiorum academicorum ordinem, gratulor stadium illorum, periculis vitae academicae evitatis, feliciter absolutum, gratulor honores academicos a Gratioso Medicorum Ordine conferendos, & ex animo apprecor, ut in exercenda praxi eadem* TIBI *felicitas contingat, quae* EVCLIDI *in demonstrando contigit, hoc est, vera & rationibus solidis innixa. Vale & me, si non male de* TE *meritus sum, amare perge. Dabam in Fridericiana, d. VI. Decembr. MDCCXLIX.*

Mein Sohn! Du weist es noch wie sehr ich mich betrübet,
Da Du die Nachricht schriebst: ich werd ein Medicus.
O dacht ich Schmertzensvoll, mein Sohn! den ich geliebet,
Umsonst gehabte Müh! wird kein Theologus.
Indessen preiß ich nun der höchsten Weisheit Güte,
Samt Deines **würdigen** und **großen Lehrers** Fleiß,
Der Dich gelehrt, wie man die Kranckheit in Geblüte
Mit Klugheit und Verstand geschickt zu heilen weiß.
GOTT kröne Ihn dafür mit Seegen aus der Höhe!
Du aber, liebster Sohn! betritt die Ehren-Bahn
Mit GOtt. Und wilst Du, daß ich Freude an Dir sehe,
So nimm den schönsten Artzt, der Seelen Heyland an,
Und lerne stets von Ihm. Alsdenn will ich mich freuen;
Alsdenn so wird Dir erst die Praxis wohl gedeyen.

Dieses schreibet Dein treuer Vater

Halberstadt, den 28. Nov. 1749.

J. H. Lucanus.

Freund! weil mich die Zeit heist eilen,
Wünsch ich in acht kurtzen Zeilen
Was man Freunden wünschen kan:
Nimm zu Deines Fleißes Lohne
Die verdiente Lorbeer-Krohne
Aus Hygäens Händen an.
Der schönen Gnade, Glück, und künftig reiche Krancken,
Hast Du dem Doctor-Hut und Deiner Kunst zu dancken.

Hiermit wolte seine Ergebenheit gegen den Herrn Doctoranden bezeugen,

Halle, den 6. Dec. 1749.

GEORGIVS ZACHARIDES,
der Artzneygelahrheit Beflissener.

FRATRI SVO PERDILECTO

CANDIDATO

SVPREMIS HONORIBVS DIGNISSIMO,

S. P. D.

IO. GODOFREDVS HENRICVS LVCANVS,

Magdeb. S. S. Theol. Stud. Opponens.

Exantlatis tandem studiis TVIS *academicis, laurea doctoralis, ob eximios in liberalibus artibus, & praecipue salutari, Medicina nempe, profectus, iure* TIBI *nunc imponitur. Specimen quoque egregium eruditionis* TVAE, *in Dissertatione, cuius solus Autor es appellandus, edidisti. Macte igitur doctrina & ingenio, cathedram ascende, hancce defende & tela Opponentium* TVORVM *doctissime retorque! Gratulor itaque* TIBI *diem Disputationis solemnem. Gratulor felices, quos praevideo, successus. Gratulor denique honorem doctoralem. Velit autem Numen supremum, quod supplex veneror, huic actui cunctisque conatibus* TVIS *inposterum favere ac benedicere, eosque ad sui Nominis gloriam, ad* TVAM *& aliorum, praesertim multorum aegrotantium, salutem dirigere. Vale, meque* TVO *fraterno amore amplecti perge! Dabam Halae d. V. Dec. MDCCXLIX.*